



Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

Raynaud, Théophile

Lugduni, 1665

VI. Christus Princeps Pacis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79582](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79582)

CAPVT VI.

Christus Princeps Pacis.

VM regno gloriæ hæcenus exposito, nexus est principatus pacis: Tum quia vterque titulus supremam Christi potestatem præfert; Tum quia, vt videbimus, pax cuius Christus Princeps dicitur, eodem ex parte collineat quo gloria, de cuius regno proximè egimus.

Christus an Princeps pacis, ob sublatam odium.

385 Denominatus est Christus, *Princeps pacis*, ab Isaia c. 9. Et quamuis tota Trinitas dici possit *pax nostra* & *pacis nostra princeps*, tamen saltem per appropriationem, (vt pleræque essentialis omnibus personis communia) huic personæ attribuitur is titulus. Esto, in rigore valere possit quod bene ait, nec tamen nisi Grammaticaliter probat. Adamus Personas sem. 1. de pane Virg. cum sic scribit. [Pax non incongruè Trinitas dicitur, quia hoc nomen *Pax*, constat ex tribus literis, sicut Diuinitas est in tribus personis. Et huius quidem omnis prima litera P. Patrem notat. Quæ sequitur, Filium qui in Apocalypsi loquitur, *Ego sum a & u principium & finis*. Et in Euangelio *Ego principium qui & loquor vobis a enim principium* interpretatur. X. duplex consonans, significat Spiritum sanctum, qui est connexio & consonantia amborum.] Addit alia vt monstret Spiritum sanctum apud eo duplici elemento literatio designari. Sit igitur tota Trinitas, pax nostra. Appropriatè tamen verbum carni nostræ iunctum, *pax* dicitur iuxta Michæam c. 5, nempe causaliter, quod idem est, atque autor pacis velut cum Isaia dicebam, *princeps pacis*. Quæ denominatio referri imprimis potest ad Christum, vt auctorem pacis per abolitionem odiorum, & conciliationem nostram cum Deo & Angelis, aliisque hominibus. Quia ratione, Christus *pax* dicitur ab Apostolo Ephes. 1. Et vt ceteras inimicitias præteream, incredibile est quantis odiis vniuersus orbis flagrant ante Christum. Paucis rem complectens est Eusebius orat. de laudibus Constantini post medium. [Gentes (inquit) totius orbis terrarum, tam græcæ, quam barbaræ, velut vi & potestate Dæmoniaca ad furorem incitata, graui & acerbo seditionis morbo, conflata fuerunt: adeo vt nusquam humanum genus vel societatem coire, vel ad concordiam reduci posset. Quippè hic illicque ingens torus humanæ naturæ quasi corpus membratim distractum, homines ab hominibus discordia in singulis terræ angulis disuncti ob varias legum & rerum publicarum formas inter ipsos ad dissensionem inflammati: quin etiam immanitate esserati crebris inter ipsos seditionibus exarserunt: sic vt perpetuo per totum vitæ spatium mutuas pugnas & bella exercerent: Neque cuiquam integrum ac tutum esset iter aliquo suscipere, nisi armis, sicut inter hostes, eue-

nire solet, se firmè obtexisset. Nam agricolæ in agris & vicis, gladiis cincti incedere, & arma potius quibus munirent sese, quam instrumenta quibus terram colerent, possidere consueverunt: Præterea prædas agere, & vicinos subiugare, virtutis loco ducere.]

Has turbas & pacis exterminia, Christus princeps pacis sustulit, pace terris illata, vt in eius exortu cantantur Angeli. Id quod idem Eusebius sub finem prædictæ orationis egregiè expressit, his verbis. [Istud certè ab eis qui mentem ad studium veritatis adiecerint, non autem vt rebus honestis inuideant, illustre miraculum existimabitur. Nam solum Dæmonum viciuita refutata & repressa est, verum etiam inimicitia & pugna quæ inter gentes à multis seculis exercebantur prorsus restincta. Et rursus tum vnus Deus, & vna eius cognitio omnibus prædicata, tum vnum imperium inter homines stabilitum, tum denique vniuersum humanum genus ad pacem & concordiam tractuatum: adeo vt omnes inter ipsos, se fratres esse facerentur, suamque ipsorum naturam mutuo agnoscerent. Etenim tanquam liberi ex vno patre, hoc est ex vno Deo; & ex vna matre, hoc est ex vera pietate facti, statim pacem inter se amplexati sunt, retinueruntque, vt ex illo tempore, orbis terrarum vniuersus, nihil à familia & cognatione optimis legibus & institutis temperata, differret: atque adeo liceret cuique pro arbitratu itor passim facere, & quod libitum erat animo suo, absque difficultate & periculo migrare: & tum eos qui ad Occidentem habitabant, tum inde ad Orientem contendere: tum contra, eos qui versus Orientem accolebant, inde ad Occidentem, tanquam ad patriam suam proficisci: ita vt cum alia veterum oraculorum responsa, Prophetarum, vaticinationes ferè infinitæ, ad quas hoc loco recensendas non satis suppetit, otij; tum ista vel maxime de salutari Dei verbo, expleta sint, quæ sic de illo prædicant; *Dominabitur à mari usque ad terminos orbis terrarum*. Et rursus, *orientur in diebus eius iustitia & abundantia pacis*. Et iterum; *Constabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falcem*, non tenabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium. Ista quidem sicut olim prædicabantur de Seruatore, & Hebræorum vocibus ante multa secula prædicabantur; sic nostris iam temporibus, re ipsa expleta cernuntur, veterumque vaticiniorum testimonia confirmant.] Nyssenus lib. de perfecta Christiani forma, inde eruit sapientissimam monitionem, ad pacem nobiscum & cum proximis studiosè retinendam.

An Princeps pacis, quia Rex iustitiæ.

386 Referri item potest nomen *principis pacis*, ad aliam notionem quam probauit Nyssenus inferius eodem libro. [Qui voces diuinas (inquit) ad propriam utilitatem excipiunt, eodem modo animis afficiantur, cum iustitiæ pacisque regem nominari Christum intelligent. Etenim qui ex precandi disciplina obsecrat, vt in se ipsum veniat regnum Domini, cum enim qui vere est Rex iustitiæ & pacis, Regem esse cognouerit, iustitiam prorsus & pacem in propria vita complectetur, vt in se Rex iustitiæ & pacis regnet. Quod si huius Regis exercitum

M m 3 virtut

virtutes faciunt, (nam iustitia & pace arbitror virtutes omnes intelligi,) qui Dei militiam deferens, se tanquam malitiæ inuentoris militem, abiecto iustitiæ thorace, & omni armatura pacifica, in acie aduersariorum constituit, quomodo hic à veritate alienus, sub iustitiæ Rege collocabitur? eius enim armaturæ insigne, planè Regē ipsius indicabit, quippe qui viuēdi ratione tanquam impressa armis imagine, ducem ostendat suum. Quare beatus ille qui in diuina militia constitutus est, & ordinibus eorum, qui in millibus millium numerantur, adscriptus, & contra malitiam virtutibus armatus, quæ in eo, qui ipsas induit, imaginem Regis demonstrant. Vides, à Nysseno pacis principem; pro virtutum omnium principem, accipi. Pacem pro iustitiâ vniuersali, in Scripturis, & vltu Ecclesiæ in creberrima pacis petitione per tempus liturgiæ, vsurpari, docet Cabasilas in liturgiæ explanatione c. 12.

Vera notio Principis pacis, ex innecta felicitate sublati bellis.

His notionibus *Principis pacis*, hic insistendum non est, quia hic prosequimur ea Christi Regis decora, quæ in eum à patris regno suo bonis refunduntur, quorum tractata iam sunt nonnulla; & exhibendum superest quod à conciliata regno felicitate, ducitur. E propostis autem notionibus, prior eadem est cum notione *mediæ oris*, inferius tractanda, vbi de Christo pace nostra diligenter. Posterior autem eadem est cum spuria illa (quantum quidem ad Scripturarum vsum attinet,) notione *Regis virtutum*, ducta ex complexione virtutum omnium, de quo titulo dictum quantum satis cap. 3. Quare Christum *paciæ Principem*, seu *Regem pacis*, (allusione ad Salomonem facta, qui *Rex pacificus* vel *Principis pacis* dictus est,) appellamus ab vberitate felicitatis quam suo Ecclesiæ regno conciliavit. Frequentissimum namque est, vt in Scripturis, nomen *paciæ* felicitatem sonet. Sic David zelasse se ait super iniquos cum pacem peccatorum videret: id est felicitatem & rerum omnium copiam. Ita ferre videtur series psalmi; etiam si non me latet, Nysseno oratione in suam ordinat. *sub medium*, vltum esse, displicuisse Davidi bonorum dissidia, in tanta malorum ad mala consensione & pace, quam Diuus quoque Augustinus notauit 19. ciuitatis cap. 12. & Nazianzenus orat. 14. num. 3. Sed verus Davidis loco proposito scopus, is est quem dixi. Alibi idem David, eo ipso sensu, optat fieri pacem in virtute, seu intra muros Hierusalem. Et quæ sit ea pax, declarat, subdens, esse abundantiam intra turres & ambitum eius. Similiter Isaias cap. 32. opus iustitiæ, denuntiat fore pacem; id est felicitatem omnimodam: & populum Dei sessurum ait in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiducia, & in requie opulenta. Et hac ipsa ratione, Salomoni nomen *Salomonis* id est Regis pacifici, & Principis pacis fuisse tributum, notauit rectè Abulensis 2. Regum cap. 12. quæst. 26. Neque tamen ab ea notione Principis pacis, excludimus externorum bellorum sub tanto Principe remotionem; Imò maxime confirmamus. Nam quæ posset esse felicitas, bello pressis; cum tam verum quam *propter* sic illud Poëta,

nulla salus bello? Felicitas quoque regnorum, maxime ex hoc fonte derivatur, vt dicitur Plimon apud Stobæum serm. 55. Et idcirco vt Salomon verè diceretur, elsetque Princeps pacis, altissima pax regnum eius tenuit. Quod ferunt illa ipsiusmet Salomonis ad Hiramum Tyri Regem 3. Regum 4. *requiem dedit mihi Dominus Deus per circuitum, & non est Satana neque occursum malis*. Ex vtraque igitur illa pace, quæ scilicet continetur & exclusione bellorum populos Dei infestantium, & felicitate, silentium illud, (vt Esaias loquitur) conueniente, compingenda est integra notio Principis pacis.

Nobisne iam nunc Christus, Principis pacis, per tot bella?

§ 87 Hinc factum est, vt nonnulli, Christum quandiu in hac vita sumus, negauerint esse Principem pacis; sed id voluerint referendum esse ad statum regni cælestis, in quo pax erit, & Dominus fines Hierusalem pacem ponet. Hic autem bellis continuis atteritur, & infelicissimè degimus. Nam & à Satana perpetuò impetitur; & vt Satanas inducias aliquando concederet, nos ipsi nobismetipsis infesti, iuge bellum aduersus nos gerimus concupiscentiæ enim nostræ militiam in membris nostris. Potest autem concupiscentia, regno hic prohiberi, non tolli; idque aperte velle Apostolum, quem dixit *non regnet peccatum in vestro mortali corpore*, probat. S. Bernardus serm. 6. de Aduentu. Siquidem alio in loco ait, idem Apostolus, *scio*; (inquit) *quod non est in me bonum, hoc est in carne mea*; Et alibi, *lesite ego homo, quis me liberabit de corpore mortali huius*? Sciebat nimirum non prius liberandum se esse à pessima illa radice quæ carni infusa est, à lege peccati quæ est in membris nostris, donec & ab ipso corpore solueretur. Vnde & cupiebat dissolui, & cum Christo esse, sciens quod peccatum separans inter nos & Deum, penitus auferri non poterit, donec liberemur à corpore. Audistis de quodam quem Dominus curauit à Dæmonio, quoniam collidens & multum discerpens eum, Dæmon exiit ab illo. Itaque dico vobis, genus illud peccati quod toties conturbat nos, (concupiscentias loquitur & desideria mala,) reprimi quidem debet & potest per gratiam Dei, vt non regnet in nobis, nec demus membra nostra arma iniquitatis peccato, & sic nulla damnatio est his qui sunt in Christo Iesu: sed non eiciunt nisi in morte, quando sic discerpimur vt anima separetur à corpore.]

At ex superstitie concupiscentia, bella & lites in nobis. Quod pulcherrimè de inuido in seipsum bellante, deque auaro prosequitur S. Chrysostomus in psal. 4. ad illud, *in pace in idipsum*. Idque agnouisse Simeonem, cum profectus est se tandem in pace dimitti, tradit S. Cyprianus lib. de mortalitate. *ferè initio*. [Probas scilicet atque contestans tunc esse seruis Dei pacem, tunc liberam, tunc tranquillam quietem, quando de istiusmundi turbationibus extrahit, sedis & securitatis æternæ portum petimus quando expuncta hac morte ad immortalitatem venimus. Illa est enim nostra pax, illa fida tranquillitas, illa stabilis & fixa, & perpetua securitas.]

secunditas. Ceterum quid aliud in mundo, quam pugna aduersus Diabolum quotidie geritur, quam aduersus iacula eius, & tela conflictationibus assiduus dimicatur? Cum auaritia nobis, cum impudicia, cum ira, cum ambitione congestio est. Cum carnalibus vitiis, cum illecebris secularibus assidua & molesta locustio est. Oblectamenta hominis, & vndeque Diaboli infestatione vallata, vix occurrunt singulis, vix resistit. Si auaritia prostrata est, exurgit libido; si libido compressa est, succedit ambitio; si ambitio compressa est, ira exasperat, inflat superbia, vinolentia inuitat, inuidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abscondit. Cogitis maledicere, quod diuina lex prohibet. Compelleris iurare, quod non licet. Tot persecutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus virgetur, & delectat hic inter Diaboli gladios diu stare? Cum magis concupiscendum sit & optandum, ad Christum, subueniente velocius morte properare.]

§88. S. Augustinus egregie in psal. 84. tra-
ctans illud, *Laquetur pacem in plebem suam*, ait, [Vox ergo Christi, vox ergo Dei pax est, ad pacem vocat. Eia dicit, quicumque nondum estis in pace, amate pacem. Quid enim vobis melius de me inuenire potestis, quam pacem? Pax quid est? vbi nullum bellum est. Quid est vbi nullum bellum est? vbi nulla contradiçtio, vbi nihil resistit, nihil aduersum est. Videte si iam ibi sumus, videte si iam non est conflictus cum Diabolo, videte si non omnes sancti & fideles cum principe Daemoniorum luctantur, cum concupiscentiis suis, quibus illae suggerit peccata; & non consentiendo quod suggerit, & si non vincunt, tamen pugnant. Nondum est ergo pax, vbi pugna est. Aut date mihi hominem, qui nihil tentationis patitur in carne sua, & possit mihi dicere, quia iam pax est. Nihil quidem tentationis forte patitur in illicitis voluptatibus, saltem suggestiones ipsas patitur vel suggerit illi quod respuit, vel delectat vnde continet. Sed ecce iam nihil delectat illicitum, vel contra famem & sitim pugnat quotidie. Quis enim iustus, hinc alienus? Pugnat ergo quotidie famem & sitim, pugnat contra nos lassitudo carnis, pugnat delectatio somni, pugnat oppressio. Vigilate volumus, dormitamus; ieiunare volumus, esurimus & sitimus; stare volumus, defatigamur; querimus sedere, si & hoc diu facimus, deficiamus. Quicquid nobis prouiderimus ad refec-tionem, illic rursus inueniemus defectionem. Esuris, dicit tibi aliquis. Respondes, esurio. Ponit ante te cibum; ad refec-tionem posuerat; persevera in eo quod posuit. Certè reficere te valebas, hoc age semper: hoc agendo in eo quod adhibueras ad refec-tionem, ibi inuenies lassitudinem. Multum sedendo fatigatus eras, surgis, deambulando lassans, sedere iterum quaris: inueni aliquid mihi vnde te reficias, vbi si perseveraueris iterum non deficias. Qualis est ergo ista pax, quam hic habent homines tantis resistentibus molestiis, cupiditatibus, indigentis, lassitudinibus? Non est ista vera, non est perfecta pax.]

Petrus item Damiani opusc. 73. part. 1. dub. 10. hac ex causa affirmat, Salomonis regnum non habere analogiam cum praesenti regno Christi, sed cum futuro. Sic autem ratiocina-

tur. [Sciendum est, quia per regnum David, qui tot persecutionibus, & acriminis attritus, tot aduersitatibus, & inopiis, cum suis commi-sionibus est afflictus, hoc praesens saeculum designatur, in quo cum suis membris Christus affligitur, multaque tribulationibus Ecclesia laceratur. Regnum verò Salomonis, qui diuitiis, & gloria cuncta regaliū dignitatum iura transcendit, omnia principalis imperij fastigia superauit, futura vitae denunciat gloriam, in qua Christus vetè pacificus, externa cum suis quiete perficitur, ac celestis conuiuij dapibus solemnitur epulatur. Vnus igitur idemque Redemptor noster, & nunc David est, & tunc Salomon erit; quia & modò tanquam manu-fortis, per membra sua contra Diabolum pug-nare non desinit; & tunc sopita prorsus om-ni carnis & spiritus controuersia, cum corpo-re suo quod est Ecclesia, vt tenera pacificus, aeterna tranquillitate regnabit. Nunc in ele-ctis suis quasi David calamitatum fascibus pre-miuitur, per ecutionum, ac diuersis aduersitatum pressuris virgetur, tribulationibus & acriminis atteritur; postmodum tanquam Salomon, exu-beranti diuitiarum immortalium copia potie-tur. Nunc David à facie Absalon fugiens, de- cem Concubinas, in domo relinquit, quas Ab-salon per incestum turpiter foedat: quia redem- ptor noster dum electus de Ciuitate Iudaica in desertum gentium properat, relinquit in domo legis Iudaeos, non viriliter incedentes, sed mul- liebri conuersatione viucentes. Et hinc ratio-nem petit idem Damiani, cur Salomon vltus sit in Ioabum & Scimeï, eosque neci dederit, quamuis pacificus; quia Christus iam regnans, vltiscetur in aeternum hostes Patris, quos hic tolerarat paterna elementia. Regnum igitur Christi in hoc saeculo, respondet regno Dauidis impacato atque turbato.]

§89. Spectat ad hunc locum longa dispu-tatio Gilberti Tomacenensis in opere de pace à c. 19. late prosequens, non esse in terra pacem. Imo ipse Christus professus est, se non venisse pacem mittere sed gladium; *diuidit enim duos in tres, & tres in duos*, vt elicitur Lucae 12. Id est, animam & corpus dissidio dissidere fa-cio, & tres animae facultates ad inuicem, vt ex-ponebat ibi S. Ambrosius, hancque esse addit eu-rationem proles nefariae, per animam ad se re-uenientem, & bella inextorere Christo seren-tem cum corpore. [Hinc peccatum manasse proditur, tanquam corpore animaeque genito-ribus, dum corporis natura tentatur, anima ma-le sana comparitur. Quae si appetentiam cor-poris refranasset, in ipso hortu esset extincta origo peccati, quam velut villi infusam cor-poris motu, male facta anima, etiam sui vigore corrupto, alienis grauis oneribus parturit. Etenim ille valentior & fortior sexus, quodam valido impetu velut villis fertur affectus; hac molliorem quam vehementiorem studet tene-re rationem. Ex his itaque diuersarum cupidi-ratum motus inoleuit. Sed vbi in se anima re-dit, deformis partus pudore conuenta, degene-res abiurat heredes, abdicans motus, exosa peccatum. Caro quoque grauium laborum de-scenerata sorte, & vlura iniuria miserabilis fa-tigata, vbi se cupiditatibus suis quas sibi ipsa generauit, tanquam sentibus mundi doluit esse confixam, veterem hominem festinat exuere, vt

ut se sibi auferat, nè improvidam parentem, successio peritura destituat. Rursus cupiditatem irrationabilis motus, quasi cuiusdam formæ decore fucato, voluptatis lenociniis illectans, eam sibi tanquam in vsum societatis ascivit. Ita velut quædam corporis, atque animæ nurus voluptas, motui prauæ cupiditatis innubuit. Ergo quamdiu mansit, in vna domo, conspirantibus viris indiuidua inseparabilisque consensus, nulla videbatur esse diuisio. Vbi verò Christus ignem quo delicta cordis exureret, vel gladium qui significat exertæ aciem potestatis, quo spiritus medullarumque secreta penetrantur, misit in terras, tunc caro atque anima regenerationis innouata mysteriis, ac se à veteris vitij, incipit esse quod non erat; ac se à veteris vitij, quamvis sibi ante dilecti Societate secerit, & quasi prodigæ copulam posteritatis eliminat, ut diuidantur parentes in filios, dum intemperans motus temperantia corporis abdicatur, & anima declinat confortium culpe, nec extraneæ illi & foris sumptæ locus remanet voluptati. Quomodo ergo hic Christus Princeps pacis, in tanta bellorum per ipsam excitatorum vberitate, aperta quoque ipsiusmet contestatione quod venerit diuidere & pacem tollere?

Vendicatur Christo, iam nunc pacis Principaturus; etiam penes belli exclusionem. Pax multiplex.

590 Nihilominus esse Christum iam ex hac vita nostra, Salomonem & Principem pacis, conformius est Isaïæ, qui Christo ex quo natus est, tribuit gloriosum illum titulum. Nec est operosum, & bellorum hic exclusionem aliquam, & felicitatis iam ex hac vita in Christi populo participationem monstrare, vnde Christum liceat iam nunc denominare pacis Principem. Ac primum quod ad pacem pro certaminum exclusionem sumptam attinet, consideranda est prostratio inimicorum nostrorum per Christum facta. Eisdem enim Christus hostes debellauit, quos infestos habebamus, iisque sublati, pacem omni inculcit. Eam in rem S. Chrysostomus, in psal. 2. pentadem Regum Christo aduersatam proponit; quorum duo visibiles, Herodes prior, qui pater Archilai, & posterior qui Christo sub mortem insulauit; tres autem inuisibiles, qui non vni personæ Christi, sed nobis primum, nec illi nisi propter nos, infensi erant: nempe Diabolus, mors, & peccatum. Nam Diabolo nomen *Regis super omnes filios superbia*, tribuunt Scripturæ: Et desolandum fore regnum eius si diuideretur, Christus ipse est contestatus. Morti quoque Apostolus Roman. 5. Regnum adscripsit, dicens, *regnavit mors ab Adam usque ad Moysen*. Rursusque de peccati regno, idem Apostolus testis est locuples, cum adhortatur *ut non regnet peccatum in nostro mortali corpore*. Hi ergo Reges terræ iuxta S. Chrysostomum aliterunt aduersus Dominum & aduersus Christum eius, nostra salutis negotiatorem & procuratorem indefessum. Sed ab eo subacti atque contriti sunt de quo particulatim infra, cum de Christo bellatore atque victore. Sicque nobis pax restituta est per Christum Dominum, re re quoad nos, principem pacis.

Bello contriti per Christum hostibus, ut pateat, quomodo pax sit per eum inducta, (est enim pax belli pretium, ut citè dixit Themiſtius orat. 10. & fusè S. August. 19. ciuitatis cap. 12.) adhibenda est distinctio Richardi Tract. de gemino Paschate in fine, multiplicem pacem sic secerantis. [Curamus itaque per pacem ad pacem, per pacem internam ad pacem æternam. Nam est pax quæ est tantum exterius, & est pax quæ est tantum interius, & est pax quæ est simul interius, & exterius. Prima pertinet ad solâ carnem, secunda ad solam mentem, tertia ad mentem simul & carnem. Primam & secundam in hac vita, numquam tamen simul habere possumus, quas semper in moribus disparibus feculum videmus. Tertiam in futura tantum vita speramus, vnde & æternam nominamus. Primam venit Christus destruere, secundam statuere, tertiam dare, sed in futurum tamen referuare. De prima dicit; *Non veni mittere pacem in terrâ, sed gladium*. De secunda & tertia, illud intelligimus, quod & iam supra posuimus; *Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis*.]

Nostra per Christum pax, iam ex hac vita.

591 Ex hac multiplicis pacis distinctione, liquet cuius pacis in hac vita conferenda Princeps sit Christus, & cuius in alia. Nam pacem internam, illam inquam pacem Dei, internam qualem Apostolus iam ex hac vita apprehenditur fidelibus, dandum est, posse in hac vita beneficio Christi obtingere. [Perfecta virtus, ait sanctus Ambrosius libro 2. de Iacob capite 6.] habet quietis tranquillitatem & stabilitatem. Idem Dominus donum eius perfectionibus referuauit dicens; *Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis*. Perfectiorum est enim non facile mundanis moribus, non turbati metu, non exagitati suspitione, non terrore concuti, non dolore vexari, sed quasi in litore rutilissimo aduersum intingentes fluctus secularium procellarum, mentem immobilem fida statione placidare. Hoc firmiter mentum Christianis mentibus Christus innoxie pacem internam inuehens animis probatorum, ut non turbetur cor nostrum, neque exagitetur animus. Hanc pacem, super omnem mentem esse, Apostolus Doctor aliteruit, dicens; *Et pax Dei quæ exsuperat omnem mentem, custodiat corda vestra, & sensus in Christo lesa*. Perfectus itaque pacis est, non perturbari in pectore. Denique vita iusti quiescit, in iustis autem inquietudinis, & perturbationis plenus est. Itaque amplius suis suspicionibus affligitur impius, quam alienis plerique verberibus; motusque vibices vulnere in eius animo sunt, quam in eorum corpore, qui ab aliis verberantur].

Splendide planè ac fusè id confirmat S. Chrysostomus in psal. 4. ad illud, *in pace in idipsum*. Refero partem. [Vide non paruum speciem providentiæ, quod pace fruatur qui soli Deo dedicati. Pax est enim his qui legem tuam diligunt, & non est ipsis offendiculum. Nihil enim æquè solet pacem facere, ac Dei cognitio & virtutis possessio, quæ animi perturbationem, internam bellum, domo procul eicit, nec permittit ut homo cum se ipso seditione agitet.]

agiter. Sanè si hac pace non fruatur, etiam si sit extrinsecus summa pax, etiam si nullus eum hostis inuadat, est omnium qui viuunt in terra miserimus. Neque enim Scythæ, nec Thraces, nec Sarmatæ, nec Indi, nec Mauri, nec quæcumque sunt feræ gentes, tam atrox bellum gerunt, quam improba ac nefaria cogitatio quæ versatur in penetralibus animi, & quæ non castigatur intemperans libido, & amor pecuniæ, & potentia vehementis desiderium, & in res quæ ad hanc vitam pertinent affectio. Et merito. Illud enim est bellum externum; hoc verò est internum praelium. Quod autem quæ intus nascuntur sunt illæ quæ extrinsecus inuadunt grauiora, & interitum magis creant, hoc licet videre in omnibus. Etenim & ligni naturam, vermis qui est intus magis corrumpit, & vires & sanitatem corporis, morbi qui intus procreantur, plus lædunt, quam qui extrinsecus adueniunt; & ciuitates, non tam externi, quam interni, & qui sunt eiusdem generis hostes perdunt. Ita etiam animæ, non tam externæ quæ in eam inuadunt machinationes, quam quæ intus oriuntur ægritudines, perniciem afferunt. Sed si quis timorem Dei habens, hoc bellum perfectè sedauerit, & perturbationes animi composuerit, & varias illas improbarum cogitationum belluas suffocans, non permiserit ut in antris delitescant, is purissima & altissima pace fruatur. Hanc pacem, Christus veniens largitus est. Hanc etiam Paulus precatus est fidelibus, dicens in singulis Epistolis, *Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro.*

Subdit quamplurima, ut probet non esse impetis pacem, eo quod nullo licet impetente, secum ipsos perpetuò bellare; confligentibus inuicem velut in campo animæ variis affectibus, & perturbationibus, itavt miser homo, vix respirare queat in quam rem bene quidem Bernard. serm. 6. de Ascensu, tum addit. [At non is qui est liber ab eiusmodi perturbationibus, hoc modo affectus est: Sed in tranquillo portu sedet, se studij sapientiæ voluptatibus explens, & nullam eiusmodi molestiam sustinens. Quocirca hac quoque providentia fruens Propheta dicebat, *in pace in id ipsum dormiam & requiescam*, innuens quod ei, qui hanc non habet pacem, ne communis quidem omnium portus est apertus, sed is quoque obstructus est; nempe quietis & notis. Huiusmodi enim perturbationes, etiam eam quæ à natura datur securitatem profligant, alia grauiori tyrannide somni tyrannidem omnino deturbantes. Inuidi enim, avari & raptores, hoc bellum vndiquaque circumferentes, & intus sedentes inimicos habentes, quocumque recesserint, pugnam non possunt effugere. Sed & si domi maneat, & si in lecto iaceant, telorum nubes, & tumultus vndis violentiores, cædes & vociferationes, querelas & ciulationes, & alia multo iis quæ inter hostes accedunt, grauiora sustinent. At non sic iustus, sed & vigilans delectatione fruatur, & nocturno tempore cum magna voluptate somnum capit.] Hac ex causa, Christus interprete Origene hom. 13. in Ezech. dictus est ab Esaia *Fluvius pacis, declinandus in populum Dei*, Ab Apostolo autem, (vt notat S. Bernardus serm. 27. in Cant.) dictus est, non *pacificus* sed *pax nostra*. Sed & apud Michæam c. 5. de Christo dicitur, *& erit iste pax.*

§ 2 Hæc igitur est infortum per Christum Theoph. Raynaudi de Attrib. Christi.

pax, quam non temerant internæ rebellantium quandoque affectuum seditiones, cum sit in hominis diuinitus adiuti & Christi gratia roborati facultate, eas comprimere, sicque æternæ vnde cumque altissima paci, in altera vita obuenturæ proludere. Motus autem qui tam facile sectatur, vix est cur nomine *belli* dometur. Is sanè non possit iure dici sustinere bellum, qui potest cum libitum fuerit, pacem inducere, & ad cuius nutum, belli motus tranquillari & residere sit necesse. At hoc habet vnusquisque cum Dei gratia. Quo pacto condicendum est quod ait supra S. Ambrosius, agens de interna pace, quam per Christum inuicta & dixerat. [Foris pax aut Imperatoris sollicita providentia, aut manu militum quaritur, aut bellorum prospero cedit euentu, aut intereccione aliqua barbarorum, si in se hostili motu arma conuertunt. In ea pace nulla nostra virtus, sed euentus est. Certe gloria pacis illius ad Imperatorem refertur, istius pacis fructus in nobis est, quæ est in mentibus singulorum, quæ tenetur affectibus.]

Tradit luculenter, omnem propositam doctrinam Richardus Victorinus, de statu interioris hominis c. 16. Tractans animæ Regnum quod hic homini per Christum redditur. [Quotidie, inquit, Crescit ad bonum, quotidie roboratur contra malum. Crescit ad bonum, ita vt iam in potestate consistens, & habens sub se milites, possit dicere huic, *Vade, & vadit, & alij, veni & venit, & seruo suo, fac hoc, & facit.* Roboratur & æque contra malum; ita vt iam non regnet peccatum in hoc mortali corpore. Sapè autem à Deo, vt iam sibi illud dictum credat. *Abique imperio tuo non mouebit quisquam manum, aut pedem in omni terra Egypti.* Et quantum hoc esse putamus, omnes rebelles animæ motus posse reprimere, & ab actu cohibere, quamuis nec dum possit omnes perfectè delere, & regnum suum ad plenam pacem reformare? Quamuis itaque non possit omnes pacis aduersarios extinguere, nec omnium manus, vel pedes truncare, magnum tamen erit, si nulli liceat siue eius imperio manum, vel pedem mouere. Et potest qui huiusmodi est, veraciter psallere; *Ego autem constitutus sum Rex ab eo, super Sion montem sanctum eius.* Itaque liber ille arbitrij consensus, totius terræ, tot cogitationum, tot affectionum, appetituum, sensuum, Imperator & Dominus, non potest interim omnia scandala de regno suo auferre, nec plenam perpetuamque pacem poterit formare. Sed cum venerit quod perfectum est, & euacuabitur quod ex parte est, cum nouissima destruetur mors in victoriam, tunc proculdubio supra modum multiplicabitur eius imperium, & pacis eius non erit finis. Tunc demum dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. *In diebus illis saluabitur Iuda & Israel habitabit confidenter, eo quod non sit qui exterreat.*

Pax per omnimodam belli exclusionem, alterius vite propria.

§ 3 Hoc est quod secundo loco, ad extricandam difficultatem propositam, ex data superius ab eodem Richardo distinctione, obseruandum est; nempe pacem plenam & absolutam omnibus numeris, per totale excidium hostium prædictorum

N n

diatorum, & omnimodam bellorum exclusio-
nem, a Christo (vt Richardus aiebat,) in alte-
ram vitam seruari: atque adeo Christum non
esse pacis Principem, ratione huiusmodi pacis
in hac vita collocata; sed conferenda per eum
post huius vite scamma. Ibi enim Deus tene-
tur qui *pax dici gaudet*, vt Nazianzenus orat.
12. num. 29. scilicet ait. Vtique quia pace in se
fruitur altissima, eamque transfundit in eos à
quibus possidetur. Ibi caelestes virtutis, perfecti
(vt ibidem habet Theologus,) radij luminis il-
lius, quibus nihil tam proprium est, quam pu-
gnas & dissidia nescire. Ibi omnes filij Dei quia
pacifici, summa pace redonati. Inde mors & pec-
catū, & vtriusque incensor, infestissimus pacis ho-
stis Satanas exultat. Quod elegantissime omnino
expressit Nyssenus Tractatu priore in psalmos
cap. 8. *sub finem*, tractans illud, *omnis iniquitas
opprobrium est suum*. Sic enim eum locum inter-
pretatur. [Quam beata illa vita, in qua iniqui-
tatis os quasi aliquis ceni fons, in perpetuum
obstruetur non amplius tetro hoc odore vitam
humanam contaminans. Hic est bonorum om-
nium vertex, & omnis spei caput, finis totius
beatitudinis, nimirum vt natura amplius non
turbetur à malitia; Sed vt omnis iniquitas pro-
cul ablegetur, quæ haud alia fuerit, quam ipse
iniquitatis repertor. Hoc enim collectiuum il-
lud vocabulum, *omnis*, significat, obstruetur vi-
delicet os illius, cuius vox initio, hominibus
materiam mortis præbuit. Quando igitur sub-
blatum fuerit omne illud quod bono aduersa-
tur, tum nos suscipiet ille status quem nulla
oratio explicare potest, qui & sensum & intel-
ligentiam, in sacris literis superare dicitur.] Ni-
mirum pax Dei exuperans omnem sensum, vt
est apud Apostolum.

594 Ibi appetitus qui in hac vita impediri
regno potest, ac debet, tolli tamen non potest,
plene subiacebit rationi. [Quia enim Deo qui-
dem subdita (ait S. Augustinus 19. ciuit. cap. 22.)
in hac tamen conditione mortali, & corpore
corruptibili, quod aggrauat animam, non per-
fectæ vitæ ratio imperat; idem necessaria est ius-
titia talis ratio. Nam profectò quamquam im-
peretur, nequaquam sine conflictu vitæ impe-
ratur, & vique aliquid subrept in hoc loco
infirmis, etiam bene confligenti, siue hosti-
bus talibus vitæ subditisque dominanti: vnde
si non facili operatione, certè labili locutione,
aut volatili cogitatione peccetur. Et ideo quam-
diu vitæ imperatur, plena pax non est: quia &
illa quæ resistunt, periculoso debellantur præ-
lio: & illa quæ victa sunt, nondum securo
triumphantis otio, sed adhuc sollicito premun-
tur imperio.] Et mox, post expositam perpetuam
hæc necessitate gratiæ, ad resistendū iugibus, te-
rationibus subdit. [Hic Itaque in vnoquoque ius-
titia est, vt obedienti Deus homini animus cor-
pori, ratio autē vitæ etiam repugnātibz impe-
ret; vel subigendo, vel resistendo: atque vt ab
ipso Deo petatur, & meritorum gratia, & venia
delictorum, ac de acceptis bonis, gratiarum
actio persoluatur. In illa verò pace finali, quo
referenda, & cuius adipiscendæ causa habenda
est ista iustitia; quoniam sanata immortalitate
atque incorruptione naturā, vitia non habebit:
nec vnicuique nostrum vel ab alio, vel à seipso,
quicquam repugnabit; non opus erit vt ratio
vitæ quæ nulla erunt imperet; Sed imperabit

is homini, animus corpori: tantæque obe-
diendi ibi erit suauitas & facilitas, quanta vi-
uendi regnandique felicitas; & hoc illic in om-
nibus hominibus; atque in singulis æternum
erit, æternūque esse certum erit. Et ideo per
beatitudinis huius vel beatitudinis pacis huius
summum bonum erit.]

Egrege item in psal. 84. ad illud, *loquetur
pacem in plebem suam*, vbi sic in hanc rem dis-
scit, post exclusam à terra pacem veram & per-
fectam. [Quæ erit perfecta pax: Oportet corrup-
tibile hoc induere incorruptionem, & mortale
hoc induere immortalitatem. Tunc fiet sermo qui
scriptus est, *absorpta est mors in victoriam*. Vbi
mors aculeus tuus? ubi est mors contentio tua?
Vbi enim adhuc mortalitas, quomodo est ple-
na pax? Etenim de morte venit lassitudo ista
quam inuenimus in omnibus refectionibus no-
stris; de morte est, quia corpus mortale por-
tamus, quod quidem mortuum dicit Apollolus,
& ante animæ resolutionem. *Corpus quidem
(inquit) mortuum est propter peccatum*. Nam si
perseueraueris in eo quo te reficis, etiam mori-
eris. Perseuera in multum manducando, ipsa
res te interficiet; perseuera in multum ieiunando,
inde morieris. Sede semper vt nolis surgere:
moriens inde. Vigila semper vt nolis dormire,
moriens inde. Dormi semper, vt nolis vigilare,
moriens inde. Quando autem absorpta fuerit
mors in victoriam, non erunt ista & erit pax ple-
na & æterna. Erit in quadam ciuitate fructus;
quando de illa loquor finire nolo & maxime
quando scandala crebescunt. Quis non desideret
illam pacem, vnde amicus nō exit, quod inimicus
non intrat, vbi nullus tentator est, nullus festi-
ciosus, nullus diuidens populum Dei, nullus fi-
tigans Ecclesiam in ministerio Diaboli; quan-
do ipse Princeps ipsorum mittitur in ignem
æternum, & hi cum illo quicumque illi con-
sentiant, & recedere ab eo nolunt? Erit ergo
pax purgata in filiis Dei omnibus amantibus,
& se videntibus plenos Deo, cum erit Deus
omnia in omnibus. Communem panem, specta-
culum, habebimus Deum, communem posses-
sionem, habebimus Deum; communem pacem
habebimus Deum. Quicquid enim est quod
modò nobis dat, ipse nobis erit pro omnibus
quæ dat, ipse erit perfecta & plena pax. Hanc
loquitur in plebem suam, hanc volebat audire
ille qui ait, *audiam quid loquatur in me Domi-
nus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem
suam, & super sanctos suos.*]

*Extricata, quæ aduersus principatum pa-
cis penes sublata bella, iam nunc Chri-
sto vendicatum, opponebantur.*

595 Ex hoc quod nunc admitto, de plena
& vndeumque absoluta pace solis beatis con-
ferenda, evanescunt quæ superius opponeban-
tur aduersus principatum pacis, iam ex hoc se-
culo assignatum Regi Christo. Potest enim
iam nunc, etiam ex hoc capite exclusionis bel-
lorum, dominari *Principi pacis*, ob illam pacem
cuius hæc vita capax est; quam suis hæc confert,
vt arrham plenissime pacis in cuius multitu-
dine suos delectabit, vt Psaltes dixit. Audiendus
in hanc rem vniuersam S. Gregorius in psal.
vltimum pœnit. ad illud, *Spiritus tuus domus
dirigit*

deducet me, sic scribens. [Qui spiritu Dei illuminantur, in terram rectam deducuntur. Ad quam quicumque deducitur, in multitudine pacis delectatur. Hanc pacis multitudinem, Dominus per Prophetam pollicetur, dicens; *Dabo illis solatiam verum, pacem super pacem.* Super pacem enim quam dilectis suis in hac vita tribuit, in æterna felicitate, aliam diuina miseratio alabit, ut iam caro non repugnet spiritui, nec aliqua vilius tentationis subrepat occasio, omnibus iam compositis: ut reformata in melius humana natura, nemo iam cadere, nemo possit peccare. Hæc est pax Christi, quam Apostolis ipse promissit, dicens; *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* In quo notandum, quia cum bis eis suam pacem promissit, intelligamus, sanctos Dei quandam in hac vita pacem habere, sed veram perfectamque pacem ibi solummodo inuenturos, ubi eos iam nulla vana mouebit cogitatio, nulla turbabit illusio, cum eripuerit Deus animas eorum de morte, oculos eorum à lachrymis, pedes eorum à lapsu. Hanc pacem Christus solus habuit, quia solus inter mortuos liber, peccati aculeum in corde non sensit. Nos verò quamdum corruptibili carne premimur, & corporis innectimur nodis, integræ illius perfectæque pacis ignari, vanè conturbamur, irrepentibus nobis terrenarum illecebris cupiditatum, & cogitationibus vanis quæ frequenter quasi factio agmine ex improviso erumpentes mentem confundunt, atque aliò quam proposuerimus animum trahunt. Non enim in potestate nostra est cor nostrum. Non ad Deum secundum voluntatem nostram erigitur, deducitur ad ima, trahitur ad deua. Si ergo in terram rectam cupimus ingredi, à Spiritu Dei bono, optemus deduci.

Princeps pacis Christus, ob illam subditis felicitatem.

596 Alterum caput penes quod Christum denominari pacis Principem affirmabam, & vbertas bonorum omnium, quæ regni sui subditos dicit. Hæc est enim altera pacis notio, quam Christi Regis regno obuenturum David psal. 1. prænumtiavit, eo nominatim versiculo. *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna.* Verbum *oriatur*, si vox Hebræa accurate reddatur, idem est ac *germinabit*. Verè enim Christo nouo verè (ut supra dicebamus,) adueniente è terra nostra, veluti perfusa cælesti rore, iustitia, id est virtutum omnium complexio, prius per peccati hyemem à Diuo Chrysostomo hom. 7. in 2. ad Corinth. in morali perbellè representatam, veluti emortua, exoriri & virescere super terram cœpit. Eoque spectabat, cælos votis suis fatigans l'as, dicens, *rorate cœli desuper & nubes pluant iustum, veluti imbrem sementinum & percommodum. Aperiat terra, tanquam verno tempore, & germinet Saluatorem, & iustitia oriatur simul.* David alibi non dissimiliter vaticinatus Christi aduentum & habitationem gloriæ in terra nostra, addit misericordiam & veritatem obuiaturas sibi, iustitiam item & pacem osculis satiandas: veritatem de terra exorituram, & iustitiam prospecturam de Cælo. Adhibet enim præteritum tempus, pro futuro, ad insinuandam certitudinem euentus: quod est in Scriptura frequens, ut notant Tre-

Theoph. Raynaldi de attrib. Christi.

toll. l. 3. in Marcionem c. 5. & S. Augustinus in psal. 3. ad vers. 6. Et l. de agone Christiano cap. 27 ac fusè S. Chrysost. Tomo 5. Græcol. ferm. in illud *Pater si possibile est, Sumi autem in eo planè sensu, hoc loco, verbum præteritum, per se clarum est. Indicari autem defluxum omnium virtutum in terras, vnà cum Christo, docet Interpretum non nemo; etiam si non sit respuendus alius præterea sensus, quo iustitiæ & misericordiæ confectio, in Christi productione, dicatur à Davide prænumtiata. Sensem quem dixi, confirmat versiculus sequens, quo asseritur, Domino dante benignitatem, (Christum vide licet suum, qui est ipsa benignitas, & humanitas; vel benignitatem gratiæ Christi;) terram nostram fore fecundandam, & fructus virtutum omnium emissuram: sicque iustitiam ambulaturam ante Christum, & summæ Regis reuerentiæ ac sanctitati, coniungendam fore sanctitatem ac iustitiam populi, omniumque in eo virtutum splendorem.*

Nec abs te Melchisedec quem Apostolus Hebræorum 7. filio Dei assimilatum, eiusque veram imaginem fuisse agnoscit, dictus est *Rex iustitiæ*; deinde autem & *Rex Salem*, quod est *Rex pacis*. Non modò quia sine patre quoad vnâ generationem, & sine matre quoad aliam fuit Christus; & quia vterque Sacerdos inuenienti sacrificij, ac ob alia quæ Apostolus ibi in vtroque componit, & S. Fulgentius l. 3. ad Trasim c. 6. expendit. sed etiam quia vterque, & iustitiæ, & pacis Rex est. Hoc primum & præcipuum bonorum quæ regno suo inuehet Christus, & penes quod maxime *Princeps pacis* audire poterit. Nam ubi iustitia (vtrique vniuersalis, & omnium virtutum complexio;) ubi inquam iustitia deest, ut S. Augustinus disputat. 4. Ciuitatis c. 4. quid sunt regna nisi latrocinia? Copiosius etiam & grauius in psal. 84. ad illud, *Iustitia & pax osculata sunt*, demonstrat nullibi pacem à iustitia vniuersali, siue à virtutum omnium complexione disungi: ut proinde qui pacem, hoc est felicitatem & abundantiam bonorum, tranquillitatem ac bellorum exclusioni nexam habere affectet, iustitiam vniuersalem consecetur necesse sit. (Fac iustitiam, inquit) & habebis pacem: ut osculentur se iustitia & pax, si enim non amaueris iustitiam, pacem non habebis; Amant enim se duo ista, iustitia & pax, & osculantur se; ut qui fecerit iustitiam, inueniat pacem osculantem iustitiam. Duæ amicæ sunt, tu fortè vnâ vis, & alteram non facis. Nemo est enim qui non vult pacem, sed non omnes volunt operari iustitiam. Interroga omnes homines, Vultis pacem? vno ore tibi respondet totum genus humanum, opto, cupio, volo, amo; Ama & iustitiam, quia duæ amicæ sunt iustitia & pax; Iustitia & pax ipsæ se osculantur. Si amicam pacis non amaueris, non te amabit ipsa pax, nec veniet ad te. Quid enim magnum est desiderare pacem? quis malus desiderat pacem. Bona enim res est pax. Sed fac iustitiam, quia iustitia & pax se osculantur, non litigant. Tu quare litigas cum iustitia? Ecce iustitia dicit tibi, ne fureris & non audis; ne adulteres & non vis audire; non facias alteri quod pati non vis, non dicas alteri, quod & tibi dici non vis; inimicus es, amicæ tuæ. Dicit tibi pax, quid me queris? Amica sum iustitiæ, quemcumque inuenero inimicum animæ meæ, non ad illum accedo. Vis ergo ve-

N n 2 nire

nire ad pacem: Fac iustitiam. Idem alius psalmus dicit tibi, *declina à malo & fac bonum*; hoc est ama iustitiam. Et cum iam declinaueris à malo, & feceris bonum, quare pacem, & persequere eam. Iam enim non diu illam quæres, quia & ipsam occurret tibi vt osculetur iustitiam.]

Quia ergo regnante Christo, regnabit iustitia; & consummatio breuitata, (ipse inquam Christus contractus,) inuendabit iustitiam; propterea abundantia pacis, & vberissima summæque felicitas, regno Christi obtinget, sub eo pacis Principe felicitas inquam, non temporalis qualem dementati Iudæi à Christo Rege expectant, sed supernaturalium bonorum; qualem verbis illis describebat Apostolus, *in omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo & in omni scientia*. Hic erit fructus summi illius amoris, quo Christus & iustitiam iudicibus terræ aded diligendam, & populum persecutus erat. Nam iustitiam quidem aded amauit, vt ad eam in terras inducendam ac reducendam, lubens ad cœnum nostrum se demiserit. Creditos verò sibi populos, mundum inquam vniuersum, ita dilexit, vt mortem probrosissimam appetuerit. Quæ Principi conuenientissima est gloria, in deliciis populo suo est, & ipse populus illius vicissim amores. Vt propterea nomen populi sui faciat suum; non modò quoties in persona sui corporis, tanquam eius caput loquitur, quod est in Scriptura creberrimum, iuxta Tychonij regulam & D. Augustini doctrinam superius propositam, tractando innocentiam Christi: sed etiam cum se nominari vult regnum Dei. Nam si regnum Dei est idem mer quod ipsius Christi regnum, & tamen Christus regnum Dei gaudet appellari; liquere profectò potest, quanto affectu, regnum suum, siue subiectum sibi populum prosequatur, qui qui appellationes eius sibi communes velit, & cum posset *Rex* audire, *Regnum* dici non refugiat. Dicit autem non raro Christum, *Regnum Dei*, docent loca illa, *Regnum Dei intra vos est. Et peruenite in vos regnum Dei*. Vtrumque enim illum locum. S. Hieronymus Math. 12. & posterior S. Chrysostomus hom. 42. in Math. explicant de ipso Christo, qui seipsum appellet *Regnum Dei*: hoc est regnum suum, cum ipsemet, Deus esset. Iniuriam mihi videor amori Christi in regnum suum irrogare, qui illum coniectem ex nominibus, cum potiora amoris argumenta, sint facta. Ea verò tanta tamque præclara, & tam varia sunt, ab hoc Rege in regnum suum, vt ne numerando quidem, pares, esse possimus.

Omnes Christi subditi, Reges; Tributa quoque, in eorum bonum.

598 Verbo dicam, quoscumque inter subditos habet, Reges eo ipso constituit: qua felicitate non est quo altius assurgant humana vota. Reges autem constitui Christi subditos, S. Ambrosius in psal. 47. sic docet, ad illud, *ipsi videntes sic admirati sunt*, quod Dauid de Regibus terræ, in fundatione ciuitatis Dei affirmat. [Boni Reges, qui sui corporis possunt se præbere rectores, ab ipsa Patriarchæ Abraham origine & institutione manantes, qui docuit pec-

catum posse superari. Idem verus Rex, qui flagitiis esse nesciuit obnoxius, in quo culpe & erroris illecebra regnare non potuit. Vnde & dictum est ad huiusmodi virum à filiis Sethi *Rex à Deo tu es nobis*. Tales ergo Reges terræ, qui carni impetarent, congregati sunt, vt in vno essent corde, & in vno spiritu: sicut legimus, *quia multitudo credentium, habebat vnam animam & cor vnum: & non erat in his aliquæ separatio*.]

Hoc iuxta Richardum Victorinum, Tractatu de statu interioris hominis cap. 15. est imperium illud ac regnum, pro quo obtinendo Dauid psal. 80. sic precabatur, *da imperium tuum patre tuo*. Hoc est regnum, pro quo in solenni oratione postulamus, dicentes, *adueniat regnum tuum*: Quamuis enim plerique Patres quos accumulatur & sequitur Dnstantus lib. 2. de rit. cap. 48. num. 17. ac Tolerius in cap. 11. Luca annotat. 7. accipiant eam petitionem de regno cœlesti, tamen vt Suarez lib. 3. de orat. cap. 8. num. 10. obseruat, vtrumque potest eodem verborum tenore postulari. Vnde alij plerique Patres, proponunt sententiam quem dixi; eamque maximè confirmat quod S. Greg. Nissenus orat. 3. in Orationem Dom. & in fragm. de Patris & Filij ac Spiritus S. diuinitate, notat hanc petitionem apud Lucam concipi aliis verbis, his nimirum *adueniat spiritus S. tuus super nos, & purificet nos*. Quæ lectio, quamvis apud Lucam nunc non habeatur tamen quod Nissenus refert, aperto argumento est, olim plebsque sic accepisse eam petitionem regni Dei in nobis. Per spiritum namque Christi, & eius gratiam, expurgati à vitis, non regnante vltra in nobis peccato, prouehimur in Reges beneficio Christi: sicque aduenit in nos regnum eius, id est regnum quod beneficio eius nanciscimur vt S. quoque Hieronymus attingit, Dialogo 3. contra Pelagianos.

Verè igitur *Princeps pacis, & Rex pacis* Christus, qui quos habet subditos, non opprimat aut exagit, sed datat & in Reges prouehit. Exigit quidem ab eis tributa quædam, & gratuita dona admittit ab alijs; sed vtraque in bonum potius & commodum subditorum, quam in ipsius Regis emolumenta vertuntur. Distinctionem illam tributorum, & numerum gratuitorum, suggerit S. Dorotheus Doctr. 1. num. 14. Et ea percepta, liquebit quæcumque Christo Regi pendimus, nobis non illi prodesse. [Christi præcepta (inquit S. Dorotheus,) Christianis omnibus data sunt, & omnis Christianus ea observare tenetur. Veluti tributa sunt hæc, Regibus debita. Si quis igitur non persoluerit hæc annua tributa Regibus, num penam effugiet? Sunt autem in sæculo viri clari, & illustres, qui non modò annua tributa persolunt Regibus, sed numerata etiam ipsis offerunt. Atque hi digni habentur honore magno, magnis donis, auctoritate multa. Pari igitur modo Patres nostri, non modò præcepta seruauerunt, sed & numerata etiam Deo obtulerunt. Munera enim sint, virginitas, castitas, & rerum omnium nuditas, atque inopia. Hæc enim cum non sint præcepta, dono offeruntur Deo. Neque enim alicubi scriptum inuenitur, *uxorem ne ducas, filios ne procrees*. Neque verò missus præcepit Chalcus, dicens, *vende omnia quæ habes*. Hinc ergo patet, tributa & dona nostra, nobis esse. Christus

Christo accedit ex mandatorum per nos obseruatione, aut voluntaria cōsiliū suseptione? Nobis autem supra modum proficit ea p̄ceptorum & cōsiliū penitatio cum, veræ opes nostræ in virtutum exercitatione sitæ sint, omnis autem cēsus virtutum, aut p̄ceptis, aut cōsiliis contineatur. Quare quod in nullo alio regno creato cerni potest, Christi regnum nulla ratione grauat subditos. Nam alij Reges, vt possint Regiam dignitatem sustinere, & subditis conciliare bona quorum gratia Reges fiunt, egent necessarij opibus magnis: vnde expensas exercitibus, & p̄sidiariis ministrisque suppeditant; & ad eas opes conferendas, iure attinguntur subditi, quamuis sit verissimum, id absque eorum grauiamine non fieri; liquidōque id in Salomone apparuit, cuius tanta maiestas, caro stabat subditis, vt profecti sunt post eius mortem Iudæi, in regni additione Roboamum orantes pro tributorum imminutione, & leuamine iugi grauiissimi quod Salomum pater imposuerat, vt esse vnde impensæ in tot sumptus suppeterent. At Christus Rex, quia bonorum nostrorum non eget, felicitatem nullis temerariam oneribus, conciliat subditis suis; estque proinde verè Rex pacis, & Princeps pacis in suos beneuolentissimus.

Regnum Christi, quomodò virga ferrea, si ad cō felix & mite.

599 Vnum est, quod difficultatem posse facere video; nempe quod David psal. 2. vbi Christi regnum accuratè describit, post propositam donationem gentium, in Christi hereditatem, & terminos terræ in eius possessionem, subdat: *Reges eos in virga ferrea & tanquam vas figuli confringet eos.* Quod videtur, austeram & immitem regendi rationem sonare. Nam ferrum signat crudelitatem & asperitatem. Vnde ferrea Eumenidum tecta; & æneum Tartari limen ad ferreum septum, morti que ferreum cor, & an eum pectus apud Heliōdum in Theogonia. Contritio verò populorum tanquam comminutio eorum per Christi regnum austum atque immitem, quo vastitas subditis, & extrema clades inducatur? Sic enim Isaiæ 30. ad supremum exitum denotandum, dicitur, *comminuetur sicut lagena figuli contritione perualida, & non inuenietur de fragmentis eius ressa, in qua portetur igniculus aut hauriatur parum aqua de fouea.* Nec aliter Hieremias cap. 19. *conteres lagunculam, & dices, sic conteram populum istum sicut conteritur vas figuli, quod non potest vltra instaurari.* Itaque habemus per regno Christi suauissimum, (quale p̄ferebamus), regnum ferreum quo subditi conterantur.

Non est negandum, quibusdam in locis *virgam ferream* sumi pro austero & seuerio imperio. Idēme sonare *contritionem vas figuli.* Sic enim Apocalip. 19. Verbum Dei, dicitur habere gladium ex utraque parte acutum, vt in ipso percutiat gentes. Additūque, *Et ipse Reges eos in virga ferrea, & ipse calcet torcular vini furoris ire Dei omnipotentis.* Quæ verba austum & seuerum iudicium Christi, in hostes designant, in bestiam inquam, & eique obsecutos Reges terræ, missos in stagnum ignis ardentis, carceris & multatos supplicis, quæ reliquo capite describuntur. Et hoc spectant, qui propo-

sitis psalmi verbis, & alibi, quoties *virga ferrea* fit mentio, censuerunt significari imperium durum & rigidum, quo conterantur rebelles & inimici, cum in hac vita, tum maxime in iudicio extremo. Ita Victorinus, Aretas, Andreas, Liranius, Ribera, Cornelius Apocal. 2. & ibi Alcala-rius notat. 7. & in psal. 2. Eugubinus. Ianfenius, ac ante eos alij, qui notant, eo versiculo psalmi 2. quo regnum Christi dicitur futurum in virga ferrea; id est cum sceptro ferreo, (sicut in *veste alba*; id est cum *alba veste*) verbum Hebræum non sonare *pacem*, seu *Reges*, sed *conteres*. Vnde Diuus Hieronymus vertit, *franges*. Nec multum ab hunc sensu SS. Hilarius & Augustinus qui rectionem illam populorum, & contritionem per ferream Christi virgam, exponunt de peccati & prauarum cupiditatum euer-sione in gentibus. Christo subiectis. Ea enim hostilitas & seueritas Christi in peccata, ferreum quid est; & aptè per *contritionem* designari potest. Mihi tamen sensus ille Psaltis non ita arridet: neque enim commodum videtur, ita accipere promissionem Patris ad filium rediuiuum. *Postula à me gentium omnium imperium; & pro eo tanquam pro tibi debito me interpella.* Sic enim lumendum est eo loco verbum *postulandi* vt acutè vidit Petrus Damiani serm. de Resurrect. Dom. *Eas ego gentes subiciam tibi, & que omnibus imperabis durissime & seuerissime.* Humanitatem enim ac clementiam tanti Principis decere videtur, vt imperium mite ac benignum p̄ferat.

600 Duo igitur occurrunt, quibus cum pacifico & miti principatu Christi, virgam eius ferream conciliemus primum est, *virgam ferream*, apud Psaltē non sonare austeritatem regentis, sed laboriosam huius viri disciplinam, quæ lenitati rectoris non aduersatur. Ita S. Augustinus virgam hanc ferream accepit lib. 2. de consensu Evangelist. cap. 4. agens de numero quadragenario hominum in Christi genealogia numeratorum. [Numerus iste (inquit), illud tempus significat, quo & in hoc sæculo & in hac terra regi nos oportet à Christo, secundum disciplinam laboriosam qua flagellat Deus, (vt scriptum est) *omnem filium quem recipit*: De qua dicit Apostolus, *per tribulationem oportet nos intrare in regnum Dei.* Quam significat etiam illa virga ferrea, de qua in psalmo legitur; *Reges eos in virga ferrea.* Cum superius dixisset, *ego autem constituens sum Rex ab eo, super Sion montem sanctum eius.* Reguntur enim etiam boni in virga ferrea, de quibus dicitur; *tempus est vt iudicium incipiat à domo Domini. Et si iniriū à nobis, qualis finis erit eis, qui non credunt Dei Evangelio? Et si iustus vix saluus erit, peccator & impij ubi parebunt?* Ad quos pertinet quod sequitur; *tanquam vas figuli conteres eos.* Reguntur enim boni per hanc disciplinam, mali verò communiuntur; qui tanquam iidem ipsi commemorantur, propter vna atque eadem sacramenta, quæ habent communia mali cum bonis. Quia ergo numerus iste, laboriosi huius temporis Sacramentum est, quo sub disciplina Regis Christi aduersus Diabolum dimicamus, etiam illud declarat, quod quadraginta dierum ieiunium, hoc est humiliationem animæ consecrauit, & lex & Prophetæ, per Moysen & Heliam.]

Alterum quod circa illius virgæ ferreæ &

N n 3 pacifici

pacifici principatus Christi cohesionem notandum occurrit, est; alibi quàm in quibusdam locis prenotatis, in quibus de iudicii praesentis aut extremi vindicta, impij & per Christum inferenda agitur; virgam Christi ferream sonare providentiam inflexibilem, & Regnum aequissimum ac perpetuum, quo Christus Rex suos subditos hic in Ecclesia rectorus à Davide praenuntiatur, & pronuntiatur à Ioanne. Ita Bellarminus lib. de SS. Beatitud. c. 18. Propositionit. 4. qui expendit verbum Hebraeum, quo ibi vitur Pfalter, & Graecam vocem qua S. Ioannes in Apocalypsi vitur, sonare passionem & reformationem pastorem, non autem destructionem. Quod argumentum non virgeo, quia quod ad vocem Hebraeam attinet, benè monet Alcazarus supra, ad 4. eam pro varietate punctorum nunc *pasces & reges* sonare; nunc *confringes*, seu *comeres*. Vox verò Graeca, quamvis reditionem solam significare videatur, tamen quia Ioannes Apocal. 19. vbi de extrema impiorum clade agit, alludere volebat ad locum psalmi 2. in quo 70. eam vsurparunt, vsurpata quoque ab eo est, sed in sensu quem ferre possunt adiuncta illa, *virga ferrea & contritio*: quae spectatis vocum corticibus, exitum & vastitatem significant. Itaque argumentum illud quo niti dixi Bellarminum, non multum nobis commodat: sed virgenda potius est ratio quàm tetigimus, quod scilicet absurdum videatur, Patrem misericordiarum, mitissimo filio spondere regnum, quod velis esse asperitum & durissimum; in quo non parum aduersus decori leges peccatur. Prosequitur plenissime hunc sensum versus illius psalmi 2. Martinus de Roal. 2. Sing. c. 5. & 6. & inflexibilitatem ac soliditatem, siue perpetuitatem regni Christi, Symbolo *virga ferrea* notatam putat: quod non sit regnum Christi vitreum, sicut nostratia, siue humana, de quibus illud scitè dictum: *fortuna vitrea est, cum splendor frangitur*.

601. Addendum tamen cenfeo, eam totam soliditatem, & inflexibilitatem, ac aequitatem regni Christi expressam per virgam ferream, cedere in subditorum commodum: Quam interpretationem, illustro & locupleto, praecleara S. Chrysostomi doctrina, hom. ad Baptizandos, qui *virgam Christi ferream*, erga fideles, non erga rebelles exeri; & *contritionem* non excidium, sed reformationem eorum sonare, sic demonstrat. [Istam nobis quassationem (quam dixerat esse reformationem in melius) & mysticam purificationem, obliquo sermone olim Propheta demonstrabat, dicens, *sicut vasa figuli conteres eos*. Nam quia de fidelibus loquitur; superius nobis manifestè declaratur, quàm ait; *Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes, hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terra*. Vidisti quemadmodum Ecclesiam gentium commemorauit, & ubique extantum Christi nominauit imperium. Et propterea ait; *reges eos in virga ferrea*; non graui sed forti: *Sicut vas figuli conteres eos*. Ecce & lauacrum sentitur mysticè. Non enim dixit, *sicut vasa fictilia*: sed *sicut vas figuli*. Et ided attendamus, & diligentius audiamus. Nam contracta vasa fictilia, iam nulla emendatione corriguntur, semel figuram per flammam sortita: vasa autem figuli, non sunt fictilia, sed argilla composita. Inde & si quo fuerint casu peruersa,

facile ad figuram pristinam, artificis reformatur industria. Et ided quando calamitatem sine remedio dicit; Non *vas figuli*, sed *vas fictile* nominat. Nam quando Propheta monstrabat, Iudeos cum ciuitate supplicis extremis traditos, & nullum eis remedium promittebat, iussit accipi vas fictile, & ante omnem confringere populum, & dicit, quia ita ciuitas peribit. Quando autem spem eis pollicetur, Prophetam ad figuli vas adduxit: & illi non ostendit vas fictile, sed argillam ei in manibus positam demonstrat artificis; quae etsi ceciderit, reformatur tamen. Ided sequitur, dicens; *si iste figulus (ait,) hoc vas lapsum iterum renouat, non multo magis ego vos poterolapsos corrigere?*

Praclare idipsum tradit idem Chrysostomus, homilia in illud, *Astir Regina*, vbi sic loquitur. [Accepit puluerem à terra, & fecit hominem ac formauit eum. Venit Diabolus & peruerit eum. Venit ipse & rursum accepit, eumque formauit; conlauit ipsum in baptismate, neque sciuit praeerea vt esset latens corpore, sed corpus ipsum fecit, vt esset testaceum. Tradidit lutum igni Spiritus. Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne. In aqua, vt reformetur; in igne, vt consolidetur. Ob hoc Propheta olim praenunciens dicebat, *quasi vasa figuli conteres eos*. Non dixit, *quasi testacea*, quae singuli quique possident. Sunt enim vasa figuli lutea, quae effingit ille per rotam. Sed *vasa figuli* sunt lutea, nostra autem sunt testacea. Praedicens igitur conflationem nostram per baptismam repetitam, *quasi vasa figuli (ait) conteres eos*. Dicit, *reforma, & constat*. Descendo in fontem baptismatis, & reformatur mea figura, constatque eam igni Spiritus sancti, & fit testaceum.] Quo ingenuit accommodat vasa fictilia, seruantia thesaurum ex Apostolo. Fauet apertè, quoad contritionem illam, S. Hilarius in psal. 1. Itaque *contritio* à Christo gentes, vt *vasa figuli*, idem est quod refingi in lutei vasis, nondum excocti: regi autem in *virga ferrea*, est in fortitudine regi, vt dicitur Mich. 5. vbi eadem vox Hebraea adhibetur; & vtrique iustissimum & sanctissimum Christi imperium, subditis commodissimum denotatur: ac proinde difficultas quae ex illo versu psalmi 2. contra Christi regnum mite, & principatum pacis ei attributum virgebat, abit infumum.

Vsus doctrinae, de Christo pacis Principe.

602. Suspirabant ad hanc pacem per Christum, iam ex hac vita orbi inuicendam, antiqui omnes: quorum illa erat vna vox, *pax erit in terra nostra, cum venerit*. In quam rem S. Bernardus serm. 2. in Cantica, sic dissert. [*Ipse est pax nostra, qui fecit viraque vnum*. Ad hoc igitur osculum, sanctus quisque antiqui temporis suspirabat, quod iucunditatem & exultationem thesaurizari super eum, & thesauros omnes sapientiae, & scientiae in ipso absconditos praesentirent, cuperentque & ipsi de plenitudine eius accipere.] Fruamur nos ea pace quam pro hac vita, per Christum fumus adepti si per nos non steterit: simulque suspiremus ad eam plenam & perfectam pacem super pacem, quae in caelo tantum, potest obtingere.

Dum hanc pacem praestolamur, exultemus de Regis nostri regno, subactis hostibus tranquillo,

ut hortatur David Psalm. 96. *Dominus* (inquit) *regnauit, exultet terra.* Quem locum sic Glossat Chrysost. hom. de vno legislatore. [Quomodo illud *Dominus regnauit*, accipis? Num quasi reuens ad fastigium illud Regiæ dignitatis perueniret? enim dixisset, *Dominus regnat*; sempiternam illius Regiam dignitatem notasset. Iam verò dicit, *Dominus regnauit*. Dicum est & ante hac, & iam iterum dicitur; Ante Christi aduentum, ante Euangelij promulgationem, in naturam nostram imperium obtinebat Diabolus, peccatum, mors. Vndenam hoc? Paulus explicat; *Quemadmodum enim regnauit peccatum in mortali nostro corpore, sic etiam gratia regnabit per Christum.* Ecce peccati regnum. Vbi nam Diabolus? Ausculta Christum dicentem; *Si Satanas, Satanas expellit, aduersus seipsum diuisus est; quomodo ergo stabit regnum illius?* Ecce Diaboli regnum. Vbi verò mortis regnum? Audi Paulum disserentem, *Regnauit mors ab Adam usque ad Moysen, super eos qui non peccauerant.* Cum igitur Diabolica Trias, in sanctam & impollutam, tyrannidem suam exercuisset, scilicet, Diabolus, peccatum, mors; Et Diabolus quidem decipiebat, Peccatum interficiebat, mors verò sepelebat: David hac triplici tyrannide oppressus, letum nuntium indicat; monetque ut lese ex seruitutis ergastulo subducant: & regnum Christi, quod prædicabatur, amplectantur: *Dominus regnauit.* Et regnum quidem mortis abolicum est, & peccati potentia imminuta est, & Diaboli potestas fracta est; *Dominus regnauit, exultet terra.* Et merito sanè exultare debuit, quæ quondam in seruitutem redacta, iam liberata est: quæ quondam errauit, iam enim gloria resplendet: quæ quondam in monumentis condita delitescerebat, nunc in throno collocata est: quæ quondam omni ignominia oppressa iacebat, nunc omni honore & gloria efficitur. Conemur præterea, æternæ paci alterius vitæ, pace interna & affectuum nostrorum subactione proludere. Eam sanè à compressis affectibus pacem, à Christo principe pacis, expectare par est. Idque perspexisse videtur eximium illud nascentis Ordinis Prædicatorum decus, Ioannes Vincentius, qui ut est apud Cantipratum lib. 1. de Apibus cap. 1. n. 7. equum rabiosum mansuefecit, appresso illi ad frontem crucis signo, inter proferendum hæc verba mihi-ge te (*Christus, Princeps pacis.*)

Quamquam autem iam ex hac vita, Christus est ad hunc secundum modum *Princeps pacis*, & auctor omnis felicitatis; tamen omnis hæc felicitas, præ ea quam in altera vita creabit suis, inane quid & ludicrum videri possit. Nam cumulat hic quidem suos Christus plerisque bonis, sed quæ præ bonis alterius vitæ, sint tantum bona picta: ut fert vox hebræa Psalm. 72. v. 7. S. Hieron. in Traditionibus in lib. 2. Regum cap. 2. idem expressit signantissimo verbo, tractans illud, & nunc retribuet quidem vobis *Dominus misericordiam & veritatem.* Nam sic ea verba Glossat. Misericordiam in præsentis sæculo, veritatem in futuro: quia misericordia quæ in præsentis sæculo tribuitur, ad comparationem æternæ misericordiæ, mendacium est. Et tamen stilla illa misericordiæ bonorum celestium, quæ Deus hic elargitur, super vitas melior est, ut David dixit. [Qui ergo in via sic pascit, in patria quomodo saginabit;] ut D. Augustinus egregie

dixit Psalm. 57. vers. ultimo. Et ut ait Bernardus serm. 47. in Cant. [si sic bonus es Domine sequentibus te, qualis futurus es, consequentibus;] Imo verò si impij plerique, hic tot bonis abundant, quamvis æternis ignibus mancipandi si inquam tale fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quanta bonorum vbertate ditabit suos in cœlis, ubi solummodo (ut Isaias monuit), magnificus est Dominus Deus noster? Vigent egregie vbertatem bonorum per Christum, cum venerit filius hominis, in regno suo conferendam populo Dei, argumento ducto ex bonis, quibus hic, & boni quidam & mali plerique abundant, S. Augustinus serm. 1. de diuersis à cap. 3. & S. Ephrem in illud, attende tibi.

603 Optime vbertatem illam bonorum, & pacem plenam rependendam regno suo in cœlis per Christum, expressit S. Bern. serm. 111. in cant. tractans fructum redemptionis nostræ per Christum. [Fructum (inquit,) talem expectamus nostri amoris, qualem ipse, quem amamus promissit, mensuram] (inquens) *plenam & conferam, & coagulatam, & superfluentem dabunt in finem vestrum.* Mensura ista (ut audio,) erit sine mensura, sed velim scire cuius rei futura sit illa mensura, vel potius illa immensitas, quæ repromittitur: *oculus non vidit, Dens, absque te, quæ præparasti diligentibus te.* Dic nobis qui præparas, quid præparas? Credimus, confidimus. Reuera sic promittis, replemur in bonis domus tuæ. Sed quibus quæso bonis, vel qualibus? Fortè frumento, vino, oleo, auro atque argento, lapidibusque præiosis? Sed hæc nouimus, & vidimus; & videmus, & fastidimus. Id quærimus quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Hoc placet, hoc sapit, hoc delectat inquirere, quodcumque est illud. Erunt inquit, *omnes docibiles Dei; Et ipse erit omnia in omnibus.* Ut audio, plenitudo quam expectamus à Deo, non erit nisi de Deo. Quis verò comprehendat, quàm magna multitudo dulcedinis, in breui isto sermone comprehensa sit? *Erunt omnia in omnibus.* Ut de corpore taceam, in anima tria intueor; rationem, voluntatem, & memoriam; & hæc tria ipsam animam esse, quantum cuique horum in præsentis sæculo desit de integritate sua, & perfectione, sentit omnis qui ambulat in spiritu. Quare hoc, nisi quia Deus nondum est omnia in omnibus? Hinc est quod & ratio sapissimè in iudiciis fallitur; & voluntas quadralpici perturbatione iactatur, & memoria multiplici obliuione confonditur. Triplici huic vanitati, nobilis creatura subiecta est, non volens, in spe tamen. Nam qui replet in bonis desiderium animæ, ipse rationi futurus est plenitudo lucis, ipse voluntati multitudo pacis, ipse memoriæ, continuatio æternitatis.]

Ibi verò omnes cum Christo Reges erunt: Quam esse pacis infinitæ & gaudij immensæ fementem, accipe ex Chrysologo serm. 144. [Gaudemus fratres, quia qui sibi regnauit, regnaturus est nobis. Gaudeamus quia venit regnaturus in terra, ut nos cum illo regnare possimus in cœlo. Audi Apostolum, *Si compatimur & conregnabimus.* Nobis natus est, nobis vitæ regnum venit donaturus: ipso promittente, cum dicit; *venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Vobis.

Vobis dixit, non mihi. Veniet ut quibus est gloria de regno, sit de familiaritate fiducia. Et regni eius non erit finis. Qui eius aduertum credis, gaudet quia regnum sine fine promissit; ubi est sine successore militia, ubi sunt perpetuae dignitates. Sed quid est quod permansura non ambiunt, qui ambiunt transitura? Quod est, quid est, quod caducos honores aut comparant, & nolunt gratis accipere sempiternos? Fratres hic parantur officia, hic decernuntur loca, hic honores designantur. Hic qui non de Euangelij fide acceperit codicillos, ibi aeternarum infulas non habebit dignitatum.]

~~~~~

## CAPVT VII.

*Christus, Legislator summus.*

604 **E**VM haecenus disputatum sit de regia Christi potestate, non possumus de potestate eius legislatiua filere. Haec enim potestas, est regia potestatis velut appendix, & conlectarium. Vnde Iulianus cum de Christo dixisset cap. 33. *Dominus Rex noster; subdit, Dominus legislator noster.* Et Clemens Alexandr. *stromatum fere in fine, ac Celsus apud Origenem lib. 5. sub medium, ex Pindaro, addunt, [Lex est Rex omnium mortalium,] Quod ad nexum regia & legislatricis potestatis perspicuum, iuuare potest.*

*Ablegata impropria legislatio per sanctum exemplum, Christo licet maxime congruens.*

Non est autem hic quaestio de Christo legislatore, ad eum improprium modum quo S. Petrus apud Clementem Alexandrinum 1. *stromatum fere in fine*, vocat Christum, *legem, & rationem* Et aequè eodem sensu, vocare poterat legislatorem, quatenus nimirum vitae eius exempla, sunt norma viuendi, vel certe quatenus eius facta, sunt totidem Dei leges, quibus dirigamur. Sic enim S. Chrysostomus in Plal. 1. illud, *in lege eius meditabitur*, accipit de Christo, sic scribens. [Et quamam est ea lex, nisi Christus qui inenarrabiliter est ex Patre genitus, nec est scriptus in tabulis lapideis: *Ex Sion enim egredietur lex, & verbum Domini ex Hierusalem.* Qui lex quidem dicitur, ut qui in se ferat paterna consilia. Verbum autem seu ratio, ut qui à Patre sit inseparabili.]

Pulchrè item Victor Cartennensis lib. de poenit. cap. 24. [Omne quod Dei filius Dominus Iesus Christus, qui est via veritas & vita locutus est, lex est, & sub exemplo sui fieri docuit, quod nobis in scripto mandauit.] Adde etiam, quia per Christum tanquam per vitae normam iudicandi sumus. Quam causam denominandi Christum legem, fuscè prosequitur Elias ad primam Orat. Nazianzeni. In hunc ipsum sensum Philo initio libri de Abraham ordiens tractationem de magnis plerisque viris legis naturae ac scriptae, post expensis quinque libris legis scriptae, ait auspicari se velle à generatibus & quasi exemplaribus legibus. [Haec sunt

(inquit) virique rectè ac sine culpa vixerunt, quorum virtutes publicatae sunt in scriptum literarum tabulis, non tantum ad laudem illorum, verum etiam ad lectores in emulationem prouocandos. Fuerunt enim illi, animatae rationalesque leges, duabus de causis venerabiles: altera quoniam ostendunt quod praecepta legis à natura non discrepant: altera; quod hinc liquet, non esse opus magno labore ad exigendam vitam iuxta legum regulam; quando illi prisci ante leges singillatim proditas, non scripto iure vii, pari felicitate atque felicitate vixerunt. Ut merito quis dicere possit, leges scriptas nihil aliud esse quam vitam Patrum commentarios, in quibus eorum dicta factaque narrantur.]

605 Idem lib. de vita Moysi, quomodo Principium vita in utramque partem sit lex subditis, aperit his verbis. [Ne illud quidem ignotum est, quod claros viros imitantur obsequi & ignobiles, sua sponte sequendo, quocumque viderint illos contendere. Itaque si quando Princeps se totum dans voluptatibus, primus ad vitam delicatam desecit, vniuersa propemodum subditorum multitudo, ad ventrem, & ea quae sub ventre sunt, proclinet prae appetitum necessarium: nisi qui naturae benignitate, animam sortiti sunt insidiatricem sed propitiam. Quod si honestiorem, severioremque sectam ille praetulerit intemperantes quoque mutantur ad continentiam, vel metu, vel reuerentia, ut habeantur emulatores studio rum similibus. Nec enim sic insaniunt, ut se praestantionibus anteferant; Et fortasse quia legislator futurus erat, multo ante ipse lex animata, rationalisque factus est per Dei providentiam, quae necientem destinabit huic muneri.]

Tandem egregie quoque, initio libri 2. de vita Moysi, [Regis officium est, iubere quae oportet fieri, ut vetate à quibus abstinere deceat. Ceterum iussio faciendorum, & interdictio cauendorum, proprie ad legem pertinet. Atque ita consequitur, ut Rex, animata lex sit; lex verò, sit Rex iustissimus.] Sed & Gregorius Nyssenus orat. de S. Gregorio Neocæsariensi ait, Alexandrinos cupiuisse cum apud se retinere, ut esset apud eos conditor virtutis, & vitae legislator.

Hunc modum quo Christus legislator dici potest, hic non attendimus: quia non est qui consequitur munus regium, nec est tenera cum potestate praecipendi, & vi obligandi continens, sed tantum continetur vitae sanctitate, & bonis exemplis quibus Christus praetulit omnibus: & eatenus, quomodo se quisque gerere in vita debeat, factis monstrauit. At hoc, etiam priuatus quilibet praestare potest, & reuera semper ab aliquibus absque facultate legislatiua praestatur. Quod enim de suo Demetrio ait seneca, prouisum illum à Deo fuisse, ne suo seculo testis deesset; de omnibus aequè seculis valet: instaurare scilicet Deum, ut Iob dixit, in omni aeo testes suos; id est interprete Dibo Gregorio sanctos semper viros aliquos prouidere, qui quomodo viuendum sit, factis consententur, & exemplo praescribant qui agentur, quidue declinandum. Id vnum Christum tribuere, aliud non esset, quam rectè normam & legem impropriam, id est obiectum potius & exemplorum, quam potestatem cum obligatione